ANNOTATIONES

AD COMICOS GRAECOS

SCRIPSIT

O. KAEHLER

VINARIAE

AVLAE OFFICINA TYPOGRAPHICA

1901

1902. Progr. Nr. 756.

Wissenschaftliche Beilage
zum Jahresberichte des Weimarischen Gymnasiums
von 1902.

GYMNASIO · IENENSI

CAROLO · ALEXANDRINO

V · LVSTRA

FELICITER · PERACTA

GRATVLANTVR

GYMNASII · VINARIENSIS

GVILELMO · ERNESTINI

COLLEGAE

Nolite exspectare, collegae spectatissimi eidemque dilectissimi, hoc tam festo die fore, ut vobis dono detur a gymnasii Guilelmo-Ernestini sodalibus aut vis coniecturarum, aut res agantur permagnae. Neque enim nostri ordinis est magna moliri aut nova excogitare, sed ad disciplinae nostrae praecepta, quae ex antiquis temporibus reliqua sunt, perpendere et perpensa cum ceteris communicare ac discipulis explanare atque interpretari. Sic autem optime eorum ingenia et mentes conformabimus ad praeclarorum poetarum et scriptorum exempla.

Itaque, cum non doctrinae specimen sed amici erga vos animi documentum afferam, aequis animis accipite, quae proponam, et largiter indulgete, si quid levius aut infirmius esse videbitur.

Petivi autem haec, ut dono vobis offeram, ex comoediae Atticae reliquiis, in quibus explicandis plurimum temporis vacui a muneris publici officiis consumpsi.

Sed iam ad ipsam rem aggrediamur.

Recte fortasse Kock ad Diphili versus fr. 93 (Comicorum Atticorum fragmenta vol. II p. 571)

εἰ τοῦ πατρὸς δόξαιμι κρεῖττόν σοι λέγειν,
ἐμαυτὸν ἀδικῶ κοὐκέτ' εἰμὶ θεοσεβής.

haec addidit: videri patre eloquentiorem esse non est nefas. Sed quod scribi iubet *λέξαιμι* pro *δόξαιμι* vereor, ne non melius sit. Quis enim persuadere sibi poterit poetam huiusmodi versum edidisse:

εἰ τοῦ πατρὸς λέξαιμι κρεῖττόν σοι λέγειν,
ἐμαυτὸν ἀδικῶ — ?

praesertim cum, ubicunque Diphilus verbo *λέγειν* utitur, praesentis aut imperfecti temporis formis utatur, nusquam aoristi

aut perfecti. Nam quae leguntur καταλέξαιμι et ἐκλελεγμένον (fr. 43, 38 et 44, 1) a colligendi et eligendi verbis formae derivantur.

Verum si quis sibi videatur (sich einbildete, sich schmeichelte) eloquentior patre esse, sibi ipse iniuriam infert. Itaque, nisi fallor, scribendum: εἰ τοῦ πατρὸς δόξαιμι κρεῖττόν μοι λέγειν, | ἐμαυτὸν ἀδικῶ —.

Iam suo quis iure mihi obiciat in usu esse comicorum Atticorum locutionem μοι δοκῶ (mihi videor, opinor), ἔδοξά μοι non item, ut nullo pacto δόξαιμι praeferendum sit formae λέξαιμι. Id haud magni faciendum censeo, quia δοκεῖν verbum apud mediae comoediae Atticae poetas quinquaginta locis est, tribus locis ex his aoristus est, λέγειν apud eosdem in centum septuaginta versibus invenitur, ex eis quinque praeter hunc formas λέξαι et similes habent, quorum alius tragicorum poetarum sermonem imitatur (Phil. 79, 2 II 500), alius Platonis philosophi (Ephipp. 14, 13 II 257 q. v.), alius non Attice loquitur (Epicr. 11, 7 II 287 λέξον πρὸς γᾶς) idem philosophos Platonem, Speusippum et discipulos eorum irridens, alius ab aliis emendatur (Eubul. 38, 3 II 177 Emper. Bamberger, Fritzsche). Restat unus Heniochi versus (5, 2 II 433) ἐγὼ δ' ὄνομα τὸ μὲν καθ' ἑκάστην αὐτίκα λέξω — „volebat is qui loquitur deinceps nomina singularum civitatium recensere". Cui si quis tantum tribuat, ut etiam hoc loco scribi iubeat λέξαιμι, eum moneo, id quod gravissimum omnium est, me non obtrudere Diphilo formas et versus et verbi, sed retinere traditas permutatis inter se pronominibus σοὶ et μοί, quae minima hoc loco est ac fere nulla mutatio.

Plura si mutare auderem, proponerem viris doctis, quod ipsum quoque dignum Diphilo esse iudico: εἰ τοῦ πατρός μοι κρεῖττον ἂν λέγειν δοκῶ, | ἐμαυτὸν ἀδικῶ = „si mihi videor patrem eloquentia superare posse, mihi ipse iniuriam infero et impius sum, ut qui patris animum laedam" (coll. Arist. Pac. 13. 177, Lys. 319). Nihil profici arbitror Blaydesii coniectura δόξω τι pro δόξαιμι (Advers. in Com. Att. fr. II p. 197). Verum, ut supra dixi, non audeo plura mutare: neque enim in huiusmodi coniecturis id spectandum

est, ut explicetur, quid scribere potuerit poeta aut quid sententiae aptissimum esse videatur. Nam talia persaepe complura possunt excogitari et haud raro alia ab aliis non inepte excogitata sunt. Immo id agendum est, ut restituatur quod scripsit poeta. Illud autem perspicitur ex ipsius sermone et usu loquendi.

Quae cum ita sint, fieri non potest, ut retineatur in Aristophanis versibus Pac. 871 sqq., quod traditum est:

Τρυγ. Ἴθι νυν ἀποδῶμεν τήνδε τὴν Θεωρίαν
ἀνύσαντε τῇ βουλῇ τι ταυτηί. *Οἰκ.* τί φής;
αὕτη Θεωρία 'στίν, ἣν ἡμεῖς ποτε
ἐπαίομεν Βραυρῶνάδ' ὑποπεπωκότες;

Atque quomodo verba inter Trygaeum et servum distribuendi sint, antiquitus dubitatur, neque tamen quisquam, quae causa sit, cur non liceat scribi ἀποδῶμεν—ἀνύσαντε τῇ βουλῇ τι ταυτηί explicavit. Unus Blaydes in Addendis et corr. ad Pac. v. 872 adnotavit inusitatum esse τὶ ab ἀνύσαντε sic disiunctum. Qui hunc locum emendabat in Classical Review 1898 p. 167 F. W. Hall, codicis B, ubi spatium vacuum relictum est post βουλῇ, lectionem emendatam a Dobraeo (Advers. II 138) revocabat: τῇ βουλῇ. *Οἰκ.* τίς αὑτηί; recte ille quidem, sed nulla addita causa.

Iam videamus, quemadmodum Aristophanes verbi ἀνύειν participio ἀνύσας et sim. usus celeritatem conficiendae rei significaverit: duodecies forma ἀνύσας cum imperativo coniuncta legitur (Ach. 571. Nub. 181. Vesp. 398. 847. 1162. 1210. Thesm. 255. Ran. 1171. Eccl. 1058. Plut. 229. 349. 648); sexies additur τὶ (Eq. 119. Nub. 635. Vesp. 30. 202. 1158. Lys. 920), ter ἀνύσας τι in enuntiatis interrogativis = imper. exstat (Nub. 506. 1253. Pac. 275), semel ἀνύσασα cum οὐκοῦν ἐρεῖς-; (Plut. 974), bis ἀνύσαντε cum coniunctivo adhortativo (Eq. 71) et futuro = imp. (Lys. 438). Itaque cum τὶ pronomen additum sit uni formae ἀνύσας, non verisimile est hoc loco ad formam ἀνύσαντε adiunctum esse, praesertim cum etiam in libris manuscriptis, in B spatio vacuo post βουλῇ relicto, id quod in eo libro pro personarum notis est, sequatur τίς ἔσθ' αὑτηί; in R autem τὶ sit omissum, in V pro

ταυτηὶ ταυτηνὶ legatur. Iam vides aliquid olim in ordine personarum turbatum fuisse nec multum fidei tradito esse tribuendum. Itaque sine dubio legendum:

Ἴθι νυν ἀποδῶμεν τήνδε, τὴν Θεωρίαν,
ἀνύσαντε τῇ βουλῇ. Οἰκ. τίς αὑτηί; τί φής;

Qui sequuntur versus a plerisque et editoribus et libris mss. servi verbis adiunguntur, in uno cod. V praefixa est versibus 873 et 874 nota Trygaei. Sed ego neutri parti accesserim, quia si Trygaeo uterque versus dabitur, ne sententia quidem satis perspicietur. Ita enim nimium pondus habet illud, quasi aliquando Dionysiis eiusmodi Theoriam pompa duxerint, neque id sit solemne. Accedit quod nihil referre arbitror, utrum Trygaeus tanta versuum gravitate eam Theoriam esse respondeat servo interroganti necne. Sed servo si tribuas omnes hos versus a verbis *τίς αὑτηί;* ad *ὑποπεπωκότες;* num servorum eis diebus tantam licentiam exstitisse credis, ut *Θεωρίαν ἔπαιον Βραυρῶνάδ' ὑποπεπωκότες*? Etsi enim Ern. Pfuhl (De Athen. pompis sacris p. 63 sq.) Aristophanis versibus (Ach. 241 sqq.) commotus servos quoque a demarcho cum civibus per pagos ductos contendit, tamen nemo ad tantam lasciviam vernas unquam prodiisse sibi persuadeat, quantam Aristophanes his versibus dicit (v. infra). Immo cum hic Trygaei servus nunquam Theoriam ipsam conspexerit, mirabundus, ut qui praeclaram illam virginem in prima pompa ductam aut portatam esse crediderit, quaerit num haec sit Theoria, scilicet meretrix quaedam, quam ludibrio et ioco omnibus fuisse ipsis Ar. versibus (Pac. 848 sqq. 876 sqq.) docemur. Trygaeus autem non ita rem se habere respondet, sed olim cum temulenti per pagos eam pompa ducerent, pacis gaudio perfusos et concitatos se *Βραυρῶνάδε παίειν*. Publicas autem pompas quinto a. Chr. n. saeculo mane (Pfuhl p. 63) sobrii ducere solebant nec servos adfuisse arbitror. Itaque versus inter singulas personas ab Aristophane mea quidem sententia ita distributi erant:

Τρυγ. ἴθι νυν ἀποδῶμεν τήνδε, τὴν Θεωρίαν,
ἀνύσαντε τῇ βουλῇ. Οἰκ. τίς αὑτηί; τί φής;
αὕτη Θεωρία 'στίν; Τρυγ. ἣν ἡμεῖς ποτε

ἐπαίομεν Βραυρῶνάδ' ὑποπεπωκότες,
σάφ' ἴσθι, κἀλήφθη γε μόλις. Οἰκ. ὦ δέσποτα κτλ.

At alia quoque eaque, opinor, gravissima causa est, cur non a versu 875 Trygaeum initium loquendi fecisse credamus. Etenim formula σάφ' ἴσθι apud Aristophanem certe nusquam in initio sermonis novae personae posita est; uno loco Av. 605 ita, ut inter duo enuntiata eiusdem personae collocata sit. Ibi enim legendum est

Πισθ. ἢν εὖ πράττωσ', οὐχ ὑγίεὶ αὖ μεγάλη τοῦτ' ἐστί;
σάφ' ἴσθι·
ὡς ἄνθρωπός γε κακῶς πράττων ἀτεχνῶς οὐδεὶς
ὑγιαίνει.

ut post v. 605 intellegamus: (ἢν εὖ πράττωσι μεγάλη ὑγίεια τοῦτ' ἐστί) σάφ' ἴσθι, v. 606 ὡς — ὑγιαίνει autem non a σάφ' ἴσθι pendeat, sed ὡς particula ipsa, ut sexcentis locis, causa rei exponatur.

Ceteris locis, ubi σάφ' ἴσθι est (Ach. 783. Ran. 296. 918. Plut. 889) in medio vel extremo enuntiato est, velut Ran. 918: ἠλίθιος γὰρ ἦσθα, σάφ' ἴσθι. Δ. κἀμαυτῷ δοκῶ et Plut. 889. μὰ τὸν Δί' οὔκουν τῷ γε σῷ, σάφ' ἴσθ' ὅτι. Ach. 783 autem: πέντ' ἐτῶν, σάφ' ἴσθι, ποττὰν ματέρ' εἰκασθήσεται.

Plane obscura etiam Kaibelio (ad Athen. XI 481 d Kock II 502.) videntur verba Philemonis ex Phasmate depromta

ἐπεὶ δ' ἡ Ῥόδη
κυμβίον ἀκράτου κατασέσεικεν ὑμᾶς ἄνω.

Pars eius fragmenti paullo emendatior legitur apud Macrobium (Saturn. V 21, 7) ἔπιεν ἡ Ῥόδη, Dindorf κατασέσειχ' proposuit, Meineke post ἀκράτου posuit colon, idem maluit κάτω (coll. Menandri fr. Adelph. XI 2), Herwerden autem (Mnem. 1893, 2 p. 167) haec addidit: „Recte ἡμᾶς Meineke et ἄφνω Kock restituisse videntur, sed praeterea displicet in hac narratione perfectum et asyndeton. Scripserim κατὰ δ' ἔσεισ' ἡμᾶς ἄφνω.“ Quem si sequemur, ex Philemonis verbis tria restant integra, cetera mutantur idque iniuria, ut mihi quidem videtur. Nam si priora ex Athenaei et Macrobii verbis componuntur, prope integras versuum particulas eruere

licet. Hic enim nihil nisi verba *ἔπιεν ἡ Ῥόδη κυμβίον ἀκράτου* habet; pro (*ἔπιε*)*ν* ex Athenaei cod. A assumemus (*ἔπιε*) *δ'*: sententia erit integra. Nec tamen cum Herwerdeno eam narrationem esse putabimus, in qua *ἔπιε* cum *κατασέσειχ'* haud tolerandum est, sed Macrobium verba alterius personae tantum excerpsisse, ut post *ἀκράτου* plene interpungatur. Iam quae caussa est, cur aoristus pro perfecto scribatur? Sed etiam multo minus illud *ἄφνω* Th. Kockii placet. Nam etsi nullo modo ferendum esse censeo, ut *κατασέσειχ'* cum *ἄνω* coniungatur, tamen pauca tantum mutari iubeo, ut simul asyndeton illud, quod Herwerdeno offensioni est, tollatur. Nam a verbo *κατασέσειχ'* initium loquendi fecit altera persona: *κᾆτα σέσειχ'*, quod cum in *κατασέσειχ'* corruptum esset, id quod plurimis locis accidit, scriba aliquis *ἄνω* pro *κάτω* inseruit, vel quia legere sibi videbatur, scripsit. Itaque legendum est:

Α. ἔπιε δ' ἡ Ῥόδη
κυμβίον ἀκράτου. Β. κᾆτα σέσειχ' ὑμᾶς κάτω;

Nam cum alter Rhodam cymbium, quo nomine aut parvulum aut magnum vas significari Athenaeus ll. docet, *προπιεῖν* dixisset, alter irridens alterum interrogavit: atque tam exiguo potu effecit, ut vos ebrii essetis?

Interpositis personarum notis interpretari aliquo modo licet Aristophanis quoque fr. (Lemn. 362 I 487 = Dind. 329)

ἦ καρδιώττεις; ἀλλὰ πῶς χρῆσται ποιεῖν;

Id autem sic explicandum videtur: cum alter iussisset alterum motu quodam corporis aliquid significare, ubi hic inepte corpus incurvavit, aegre ferens stultitiam hominis increpuit: Laborasne e stomacho? Iam timide alter: At quomodo, inquit, rem agi iubes? Quae si ita sunt, scribo:

Α. ἦ καρδιώττεις; Β. ἀλλὰ πῶς χρῆσται ποιεῖν;

cfr. Pac. (297. 1256.) 1279:

Τρ. κλαύσει νὴ τὸν Διόνυσον
οἰμωγὰς ᾄδων καὶ ταύτας ὀμφαλοέσσας.
Παῖς Α. ἀλλὰ τί δῆτ' ᾄδω;

Quodsi in hac paucitate verborum quidquam perspicere possumus, ita facillime fragmenti sententiam expediri puto.

Haud aliter res se habet in fragmento Alexidis ex Lampade fabula sumpto (123 II 340 = Mein. 121 III 436)

καταφαγεῖν
αὐτὸς τοσοῦτ' ἀργύριον. οὐδ' εἰ γάλα λαγοῦ
εἶχον, μὰ τὴν γῆν, καὶ ταῶς κατήσθιον.

Namque et Kock et Meineke de loco corrupto desperaverunt, Kaibel (Athen. XIV 654 f.) post ἀργύριον notam interrogandi posuit, id quod mihi quoque valde placet; sed aliud reliquit, quod ferri posse nego. Etenim non dubito, quin Alexis in eiusmodi enuntiato ἂν particulam verbo κατήσθιον adiunxerit. Atque Herwerden (Anal. crit. 33) scripsit κατῆσθον ἂν nimis incerta coniectura, quia eiusmodi forma apud mediae comoediae poetas non extat neque apud Menandrum aut Aristophanem praeter fr. 693 (I 561): οὐκ ἔσθω κενέβρειον, ubi ipsa quoque Heringae (Observ. crit. 165) incerta coniectura versui illata est.

Dixerit quispiam, ut supra (in Phil. fr.) monui κάτω in ἄνω a scriba quodam mutatum esse, ita hoc loco ἂν ἤσθιον in κατήσθιον. Nam simplex verbum post compositum saepius ab antiquis scriptoribus usurpatum esse constat. At etiam alia ratione versum emendari posse confido, ut cum in libro antiquo *EXON* exhiberetur, alii ἔχων, alii εἶχον legerent. Quo facto facile accidere poterat, ut quis, ne deesset particula εἰ, eam pro ἂν in superiore versu positam insereret, haud inscius ἂν (= ἐάν, nam in libris deterioribus exstat ἢν) nullo modo convenire ad imperfecti temporis indicativum. Sed si illud ἂν rectum iudicabimus, nihil offensionis iam erit:

καταφαγεῖν
αὐτὸς τοσοῦτ' ἀργύριον; οὐδ' ἂν γάλα λαγοῦ
ἔχων, μὰ τὴν γῆν, καὶ ταῶς κατήσθιον.

Sic enim ἂν ad κατήσθιον pertinebit, ἔχων autem participium erit pro εἰ εἶχον, quod plurimis locis in Atticorum usu esse nemo est, qui ignoret. Dobraei vero tetrametros trochaicos haud probamus, quod antea in Athenaei libro quattuor Antiphanis tetrametri trochaici (205 II 99 K.) proferuntur, neque verisimile est troch. tetrametros in trimetros

iambicos ab homine docto transformatos esse. Accedit quod Dobraeus rem gessit nimia audacia.

Hoc loco de participii *οἱ χρώμενοι* usu pauca inserere liceat, quod apud Alexidem est fr. 135, 16 II 346:

καὶ τῶν μὲν ὑποκριτῶν πολὺ
κράτιστός ἐστιν (Σῖμος) ὀψοποιός, ὡς δοκεῖ
τοῖς χρωμένοις, τῶν δ' ὀψοποιῶν ὑποκριτής.

Ibi enim Th. Kock haec annotat: *τοῖς χρωμένοις*, den Kennern, idem paulo rectius ad Aristophanis Ranas 1475 *τί δ' αἰσχρόν, ἢν μὴ τοῖς θεωμένοις δοκῇ*, „experientibus" dicit „ganz nach der Weise der Sophisten, die den Menschen zum Mass der Dinge machen, will Dionysos den Begriff der turpitudo gar von der Willkür des Publicums abhängen lassen." Nam et in Aristophanis versibus *οἱ θεώμενοι* sunt volgus, quod spectat fabulam, et in Alexidis versu *οἱ χρώμενοι* sunt volgus, quod fabulam spectat et idem utitur *ὀψαρτυσίᾳ* ab illo conscripta. Scilicet Simus ille, cum antea coquus fuisset, illo tempore ad tragoediam transfugerat cf. v. 13. Itaque *οἱ χρώμενοι* sunt ei, qui utuntur aliqua re vel aliquo homine, quos dicimus nos „das Publicum, die Kunden" et sim. Ceterum simillimum est, quod apud Athen. XIII. 582 d legitur fragmentum Euripidis (19 Nauck): *τί δ' αἰσχρόν, εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ;* Sed „die Kenner" apud comicos poetas sunt *οἱ εἰδότες* (cf. quae nos ad Arist. Nub. 1241 et Th. Kock ibidem annotavimus), aliis locis *οἱ εὖ εἰδότες, οἱ σάφ' εἰδότες.*

Multa, quae etiamnunc correctoris auxilio indigeant, insunt in fr. Antiphanis 194 II 92 K.: Ex eis nonnulla haud multa opera emendari posse mihi persuasum est. Cum antea A quidam (?) alterum aenigmatis variis elusisset, B denique, ira incensus, ipse quoque se griphum prolaturum esse similem ceteris affirmavit, et pisces duo permulta garrire ait, ut neque de qua re loquerentur neque quem alloquerentur quisquam intellegere posset. Iam haec, quaeso, legas:

ὥστε πρὸς ὃν μὲν
ἦν αὐταῖς ὁ λόγος, πρὸς δ' αὐτὰς πολλὰ λαλούσας
αὐτὰς ἀμφοτέρας ἡ Δημήτηρ ἐπιτρέψει.

Atque id non esse aenigma ante omnia est tenendum. Immo, ut supra monui, B ira incensus, quia antea griphis lacessitus erat, iam a ceteris (v. 14.) petivit, ut ipsi quoque tale quid proponere liceret. Quod cum annuissent, quasi serio rem acturus esset, initium loquendi fecit, sed postquam paucula quaedam exposuit, deflexit ab itinere atque aenigmatis illis et eum cui proposita essent et eas quae proposuissent male perituros (ἐπιτριβῆναι) proclamavit. Itaque sic legendum esse censeo:

ὥστε πρὸς ὃν μὲν
ἦν αὐταῖς ὁ λόγος, πρὸς δ' αὖ τὰς πολλὰ λαλούσας
αὐτὰς ἀμφοτέρας ἡ Δημήτηρ ἐπιτρίψει.

Vix opus est ad ea confirmanda multa afferre. Ita enim articulus quo ad participium λαλούσας aegre caremus facillime restitutus est et ita demum recte opponuntur et qui decipitur et a quibus deceptus est. Particulas autem μὲν — δ' αὖ ut apud ceteros Atticos scriptores, ita in comicorum reliquiis saepius occurrere notum, velut Anaxandr. 41, 20—1 II 152:

τότε μὲν Σπάρτην τὴν εὐρύχορον,
τότε δ' αὖ Θήβας τὰς ἑπταπύλους —.

Similem abundantiam sermonis, ut ad πρὸς adverbii loco positum accedat aliquid cui vis augendae rei insit, habes apud Arist. Plut. 1001: καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις εἶπεν ἀποπέμπων ὅτι — ἦσαν. et in Anaxil. fr. 24, 2 II 272: καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις τιθασὸς —. Αὖ vero in Aristophanis fabulis plerumque cum δὲ coniunctum est, praeterea cum κᾆτα vel cum αὖθις; non raro αὖ solum invenitur. Sed alia praeterea res est, quam proferre velim: cum identidem hanc eclogam perlegerem, exstitit suspicio, vel potius intellexi tres inter se colloqui personas, ut a v. sexto C persona accedat, cui tribuendi sint versus 6—8: ἀλλ' ἐγὼ σαφῶς φράσω — ὧν οὐδὲν ἐδεῖτο. eidemque versus 10—13: οὐκοῦν ταῦτα καὶ ὁ γρῖφος ἔλεγεν· — τοιοῦτο τοῦτ' ἦν. Verbum λέγε (v. 14) utri datum sit a poeta, non liquet nec multum refert, sed A personae tribuisse Antiphanem crediderim, ne a v. quarto usque ad v. undevicesimum prorsus obmutesceret. Nisi autem poeta plures loquentes facere voluisset, dicere non potuit v. 14: τοιγαροῦν

κἀγώ τινα εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς βούλομαι γρῖφον. Ex tribus illis duas fuisse feminas easque meretrices, tertium autem virum vel ex eo cognoscimus, quod ubicunque B personam ille commemorat masculino genere utitur (v. 1. 7. 16), contra cum de ceteris agitur, feminino genere (v. 2. 15); unus locus restat v. 8 *οὐκ οἶδε δεδωκὼς οἷσι δέδωκ'*, sed una littera mutata legamus *αἷσι δέδωκ'*, quod quam facile depravari potuerit, nemo non intellegit, aut ne mutamus quidem quidquam; nam ille qui dederat sua mulierculis illis haud pauca largitus esse putandus est, ut eis non solae sed etiam amici et sectatores earum delectarentur. Ceterum si cui nimis inurbane homo ab ipsis mulierculis etiam irrideri videatur, facile concedam hunc cum amatoribus illarum colloqui, neque ex eis quae exposui quidquam mutandum est. Manet enim illud in versibus supra indicatis de feminis agi, in ceteris de homine ipso male fraudato. Sed utrum A et C personae viri an feminae fuerint, ex eis quae nunc habemus diiudicari non potest neque multum ad versus interpretandos interest. Accedit quod non nostrum esse ab initio monui quae antiqui poetae scripserunt corrigere, sed quae a scribis depravata sunt emendare.

Quodsi unum praeterea locum explicabimus, quid tota ecloga efficere poeta voluerit, perspicere poterimus. Versu enim tertio optime Casaubonus et Dalecampius *ταύτης* et *αὐτῇ* scripserunt, non recte *ψευσθεὶς* in *ψευσθέντ'* (= *ψευσθέντι*) mutantes, et quod Attici scriptores non facile *ι* dativi elisione eliminaverunt, et quod prorsus non intelligitur, quis *κεστρεὺς* ille sit, qui *ἄγειν ἄλλην* dicitur. Mihi *κεστρεὺς* et *ἀνὴρ* idem esse videtur. Nam cum *μεγάλῃ δαπάνῃ* antea multis piscibus rete iniecisset, ille iam quae habuerat consumpsit, ut *κεστρεὺς* id est *νῆστις* esset. De mendicitate autem mugilis (*τοῦ κεστρέως*) plurima ex comoediis Atticis exempla congessit Athen. VII 306—308, ex quibus afferre satis est Diphili fr. 54 II 558: *ὁ δὲ τάλας ἐγὼ κεστρεὺς ἂν εἴην ἕνεκα νηστείας ἄκρας* (W. Headlam Class. Rev. 1899 p. 17 pro *ἄκρας*: *ἄκρος*). et Euphronis 2 III 319 *Μίδας* (servus) *δὲ κεστρεύς ἐστι· νῆστις περιπατεῖ.* Quem *κεστρέα* cur lenonem esse illi viri

docti censuerint, equidem non video. Utrum autem esse mugilem Antiphanes voluerit, etiam ipse indicavit. Neque enim sine causa eum v. 2. aoristo tempore, v. 4. autem imperfecto usum esse puto. Sed hoc significare voluit stolidum hominem, cum sua profudisset, iam *κεστρέα* factum aliam *πέρκην* ad se pellicere studuisse, illam vero nullis incitamentis ab eo adductam sua sponte ad amatorem suum *τὸν μελάνουρον* transiisse, a quo se benigne exceptum iri probe sciret; erant autem „*τρόφιμοι*" *οἱ μελάνουροι* secundum Athen. ll. Haec causa est, cur in sequentibus versibus B ille de *κεστρεύς ἀνήρ μελάνουρος* vocabulis non de *πέρκῃ* loquatur, quippe qui *ἄνδρα* et *κεστρέα* eundem esse et se ipsum his verbis a *πέρκῃ* irrideri non intelligat; nam quae *πέρκη* esset ignorare non poterat.

Iam totam eclogam sic explicare et interpretari posse mihi videor: homo quidam libidinosus idemque stupidus, postquam magna mercede unam meretriculam e plurimis cepit, ab illa quoque elusus alteram ad se pellicere studuit similem eius neque potuit, ut qui nihil iam haberet quod donaret. Ab utraque autem (vel ab amatoribus earum) griphis malitiose de sua sorte edoctus, cum primo non intellexisset quid sibi vellent, denique simulatque *ἔμαθε* frustra se omnia sua eis largitum esse illasque cum amicis suis frui bonis ab ipso donatis, minatur se non unum orbum pecunia et gaudio futurum esse, sed illis quoque ea, quibus ipsum fraudassent se erepturum. Itaque sic Antiphanis versus restituendos esse censeo*):

A. *ἰχθύσιν ἀμφίβληστρον ἀνὴρ πολλοῖς περιβάλλειν*
οἰηθεὶς μεγάλῃ δαπάνῃ μίαν εἵλκυσε πέρκην.
καὶ ταύτης ψευσθεὶς ἄλλην κεστρεὺς ἴσον (?) *αὐτῇ*
ἦγεν. βουλομένῃ δ' ἕπεται πέρκη μελανούρῳ.
B. *κεστρεύς, ἀνήρ, μελάνουρος, οὐκ οἶδ' ὅ τι λέγεις·*
οὐδὲν λέγεις γάρ. C. *ἀλλ' ἐγὼ σαφῶς φράσω.*
ἔστι τις ὃς τὰ μὲν ὄντα διδοὺς οὐκ οἶδε δεδωκὼς
οἷσι (*αἷσι*) *δέδωκ', οὐδ' αὐτὸς ἔχων ὧν οὐδὲν ἐδεῖτο.*
B. *διδούς τις οὐκ ἔδωκεν οὐδ' ἔχων ἔχει;*

---

*) Textus est Kockii; quae mihi mutanda videantur maioribus literis vel nota C indicavi.

οὐκ οἶδα τούτων οὐδέν. C. οἰκοῦν ταῦτα καὶ
ὁ γρῖφος ἔλεγεν· ὅσα γὰρ οἶσθ' οὐκ οἶσθα νῦν,
οὐδ' ὅσα δέδωκας, οὐδ' ὅσ' ἀντ' αὐτῶν ἔχεις.
τοιοῦτο τοῦτ' ἦν. B. τοιγαροῦν κἀγώ τινα
εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς βούλομαι γρῖφον. A. λέγε.
πίννη καὶ τρίγλη φωνὰς ἰχθῦ δύ' ἔχουσαι
πόλλ' ἐλάλουν, περὶ ὧν δὲ πρὸς ὅν τ' ᾤοντο λέγειν τι
οὐκ ἐλάλουν· οὐδὲν γὰρ ἐμάνθανεν, ὥστε πρὸς ὃν μὲν
ἦν αὐταῖς ὁ λόγος, πρὸς δ' αὖ τὰς πολλὰ λαλούσας
αὐτὰς ἀμφοτέρας ἡ Δημήτηρ ἐπιτρίψει.

Uti supra paucis litterulis mutatis versus Antiphanis emendari posse exposui, ita Alexidis quoque eclogae subveniri arbitror: fr. 269, 2 II 396:

ἐπὰν ἰδιώτην ἄνδρα μονοσιτοῦντ' ἴδῃς,
ἢ μὴ ποθοῦντ' ᾠδὰς ποιητὴν καὶ μέλη,
τὸν μὲν ἰδιώτην τοῦ βίου τὸν ἥμισυν
ἀπολωλεκέναι νόμιζε κτλ.

Nam ποιητὴς ποθῶν ᾠδὰς haud recte opponitur ei homini, qui nullam iam artem colit, sed fruitur opibus vel a maioribus acceptis vel ab ipso comparatis. Ποιοῦντ' autem quod Meineke proposuit et Kock et Kaibel spreverunt, neque intelligitur, cur aut scriba aut vir doctus ποιεῖν ᾠδὰς καὶ μέλη in ποθεῖν κτλ. mutasse putandus sit. Nam multo usitatius est ποιεῖν ποιητὴν μέλη quam ποθεῖν, i. e. desiderio carminum captum teneri. Sed ille poeta dimidia parte artis caret (ἀπολώλεκε - τῆς τέχνης τὴν ἡμίσειαν) qui non omnibus nervis perpetuo nititur, ne quid quod idoneum sit ad carmen condendum elabatur, aut si condi coeptum est, non omnibus numeris absolutum atque perfectum in lucem prodeat.

Iam si scribimus μὴ πονοῦντ' ᾠδὰς ποιητὴν καὶ μέλη, omnia perspicua sunt. Nam apparet ΠΟΝΟ in ΠΟΘΟ facillime abire potuisse, et sententiam aptissimam ad rem illustrandam evadere, cum si quis forte versus quosdam quamvis egregios pepigit, non sit poeta: hic summa arte molitur carmen = πονεῖ ᾠδὰς καὶ μέλη.

Herwerden (Mnem. 1891 p. 207 ad Alexid. fr. 125, 10 II 342 K.) scripsit: „Prorsus facio cum editore (Athenaei, Kaibel) in his Alexidis versibus solum *πεμφθεὶς* vitiosum esse statuentis (?), non vero exputo, quid aliud sub eo vocabulo delitescere possit praeter *ἰχθῦς*, licet corruptelae ratio me fugiat.“ Kock: fortasse *κἂν γραῦς, κἂν γέρων, κἂν παῖς τις ᾖ | πεμφθείς*, quod tam languidum et paene ridiculum est, ut Alexidi ego quidem non audeam tribuere. Cur enim hoc loco poetam scripsisse putemus: *ἐὰν πεμφθείς τις ᾖ*, et *κἂν παῖς τις ᾖ πεμφθείς, ἅπαντες — ἀγοράσουσι*, ut *πεμφθεὶς* proxime ad *ἅπαντες* accedat? Immo aliud vocabulum inter *καὶ γραῦς καὶ γέρων καὶ παιδίον* et *ἅπαντες* interpositum fuisse verisimile est. Atque recte Herwerden *ἰχθῦς* omnes emturos esse iudicat, quod post latam Aristonici legem vilissimi pisces futuri sint, neque tamen inserendum est *ἰχθῦς*, quod quomodo in *πεμφθεὶς* corrumpi potuerit, vix intelligitur, sed piscium genus et id quidem, quod in proverbium quodammodo cessit: *μεμβράδας* (*βεμβράδας*). Neque quidquam offensioni futurum esse existimo, si quis legat hos versus:

κἀνταῦθα καὶ γραῦς καὶ γέρων καὶ παιδίον
μεμβράδας ἅπαντες ἀγοράσουσι κατὰ τρόπον.

Scilicet quam vilissimos pisces emere omnes volebant, apuarum autem (*τῶν μεμβράδων*) vilissimum piscium genus fuisse, novimus ex Alexidis fr. 195, 3 II 369, Timocl. 11, 5 II 456, Aristoph. Vesp. 493.

Iam finem faciam scribendi in Aristophanis versu saepe a viris doctis tractato Ran. 957: *νοεῖν, ὁρᾶν, ξυνιέναι, στρέφειν, ἐρᾶν, τεχνάζειν, —*. Euripides in festivo illo tragicorum poetarum certamine a se tragicas personas didicisse gloriatur non sublimia verba iactare, sed hominum more loqui et prudenter quaecunque hominibus curae essent meditari et perpendere ac ne illis quidem artibus dolisque in dicendo abstinere, quibus tunc Athenienses utebantur. In eo numero non apte poni *ἐρᾶν* facile perspicitur, neque usquam in hac parte disputationis de ea re agitur; sed requiritur verbum perscrutandi. Quod si collocabimus inter *ξυνιέναι* et *στρέφειν*,



eadem opera huic loco medebimur et coniungemus *στρέφειν τεχνάζειν*, quae in Acharnensium quoque v. 385 coniuncta leguntur. Itaque Aristophanem sic composuisse versum puto:

νοεῖν, ὁρᾶν, ξυνιέναι, ʼρευνᾶν, στρέφειν, τεχνάζειν, —

Sed ille verbo *ἐρευνᾶν* non usus est. Num *περᾶν*, quod Meineke proposuit et nuper v. Leeuwen recepit, usquam utitur ita, ut in sententiam „concludendi“ accipiatur? Ceteri Attici saepe *ἐρευνᾶν* habent, ut casu factum esse existimem, ut apud Aristophanem non legatur. Facillime autem *ἐρᾶν* cum *ἐρευνᾶν* permutari potuit aut, cum a docto quodam correctore supra versum scriptum esset, in alium locum irrepere. Nam etiam pro *ὁρᾶν* est in cod. A.